$$\frac{v}{\frac{v}{n}+\frac{v^2}{2n^2}+\frac{v^3}{6n^3}+\&c.}=\frac{n}{1+\frac{v}{2n}+\frac{v^2}{6nn}+\&c.}.$$ At evanescente angulorum differentia $MCN = v$, fiet $\frac{ML}{LN}$ tangens anguli, quem Radius $CM$ cum Curva constituit; unde, facto $v = 0$, istius anguli $AMC$ tangens erit $= n$, ideoque iste angulus constans. Si fuerit $n = 1$, iste angulus erit semirectus, hocque casu Spiralis logarithmica vocatur semirectangula.

## CAPUT XXII.

### *Solutio nonnullorum problematum ad Circulum pertinentium.*

529. Posito Radio Circuli $= 1$, supra vidimus fore semicircumferentiam $\pi$, seu Arcum 180 graduum, $=$ 3,14159265358979323846264338, cujus numeri Logarithmus decimalis seu vulgaris est 0,49714987269413385435126828; qui si multiplicetur per 2, 30258 &c, prodibit ejusdem numeri Logarithmus hyperbolicus, qui erit $=$ 1, 14472988584940017414342 37. Cum igitur longitudo Arcus 180 graduum sit cognita, inde cujusvis Arcus in gradibus dati longitudo poterit assignari. Propositus sit Arcus $n$ graduum, cujus longitudo, quæ quæritur, sit $= z$; erit $180 : n = \pi : z$, ideoque $z = \frac{\pi n}{180}$: hinc Logarithmus ipsius $z$ reperitur, si a Logarithmo numeri $n$ subtrahatur iste Logarithmus 1,7581226324091722154525 26413. Quod si autem Arcus propositus detur in minutis primis, ut sit $n'$; tum a Logarithmo ipsius $n$ subtrahi debebit iste Logarithmus 3,5362738827928158479612932 11. Sin autem Arcus propositus